



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1626

II. In quo consistat attributum Æternitatis, & qua ratione Dei proprium sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

at verò à Deo ab esse debet omnis imperfectio. Ergo, &c. Quæ ratio probat, eiufmodi mutationem à Deo necessariò abesse, etiam si ea perse nullam involueret in Deo mutationem physicam, ut recte Suarez lib. 2. de Deo cap. 3. n. 4.

Quamquam absolute loquendo, verius est, si ea mutatio ita in tempore accideret, futurum, ut simul etiam involueret mutationem physicam, & realem in Deo: quamus enim Deus ab æternitate sine illa mutatione physica potuisse id non velle, aut oppositum velle, tamen postquam id semel voluit, ad oppositum transire non potest, nisi mutatione physica & reali in ipso Deo interveniente; saltem ob eam causam, quia tunc hoc ipso voluntas Dei non futura est et infinita perfecta, adeoque nec eam perfectionem habitura, quia sine omni mutatione sui intrinsecā, ab uno & eodem obiecto secundum omnes circumstantias spestat, possit terminari, & non terminari.

Quo sensu intelligo communem Doctorum sententiam, quidocent, Deum realiter intrinsecè mutantum iri, si eiufmodi quædam varietas daretur in actibus diuinæ voluntatis: in quibus sunt Ferrarensis lib. 1. cont. gent. cap. 8. 3. Bassolis in 1. d. 45. q. 2. a. 3. Lychetus q. vn. concl. 2. De qua re plura inferius de scientia & voluntate Dei libera. Quando verò subinde Deo tribuitur pœnitentia, aut aliqua retractatio voluntatis, intelligendū id est impræcipiē, & secundum effectum, iuxta S. Thomam infra q. 19. art. 7.

Assertio III. Potest tamen Deus aliter se habere, secundum denominations extrinsecas, seu respectus rationis, absque illa sui mutatione. Ita communis Doctorum, cum S. Thoma 1. p. q. 13. a. 7. & q. 7. de potent. a. 8. & in 1. d. 30. q. vn. a. 1. post Anselmum in Monolog. c. 24. & Augustinum li. 5. de Trinit. c. 16. licet olim hac de re dubitauerit, ut videre est li. 12. de ciuit. c. 15. Ratio est. Quia denominations extrinsecæ, vt & respectus rationis, nec pro fundamento supponit mutationē aliquā in ipso Deo, sed solum in creaturis, nec perse sunt, aut ponit aliquid reale in Deo, vt patet: nihil ergo obstat eas de nouo Deo aduenire, & circa Deum variari; vt est denominatio sive relatio Creatoris, Domini; item relatio cogniti, præsentis secundū indistantiam localem, & similes; idq; citra ullam Dei mutationem; quia vera mutatio non accidit, nisi per veram receptionem, aut amissionem formæ realis in ipsa re existentis. Vnde etiam colligitur, eiufmodi relationes Dei ad creaturas, solum esse rationis, non reales, vt docet S. Thomas loco cit. & 1. p. q. 13. a. 7. Alensis 1. p. q. 4. m. 1. Richardus d. 30. q. 4. ad 6. & communis Theologorum ac Philosopherum, ut suo loco pluribus dicetur.

Assertio IV. Immutabilitas hoc modo explica-ta, ita propriè solius Dei est, vt per nullam potentiam illi creaturæ possit esse communis. Ita S. Thomas hic 1. p. quæst. 9. a. 2. & in 1. d. 8. q. 3. a. 2. cum Magistro ead. d. 8. ex communi omnium Doctorum consensu. Et colligitur ex citatis Scripturæ testimonij: idemque passim docent SS. Patres. Optime Augustinus lib. 2. de morib. Manich. c. 1. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Ioan. cap. 23. & lib. de recta fid. ad Theodosium, Gregorius

Nysenus lib. de hominis opificio. capit. 16. Gregorius Magnus lib. 12. Moral. capit. 17. in illo Job 15. Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis. Anselmus in profologio capit. 22. & in Monologio cap. 28.

Idipsum ratione optimè etiam probat & declarat S. Thomas cit. q. 9. a. 2. Primo enim omnia sunt mutabilia extrinsecè ab ipso Deo, etiam quod substantiam suam; quia secundum suum esse, & cōseruari perpetuò ac necessariò pendet à Deo, iuxta S. Augustinum lib. 4. in Genes. ad lit. cap. 12. adeo ut etiam implicet contradictionem, hac ratione non esse mutabilia; alias enim nec Deus esset Deus, nec ipsa essent creaturæ: quibus nimurum intrinsecum est dependere in suo Essere à primo Ente. Deinde omnia etiam aliquo modo sunt mutabilia intrinsecè; aut secundum substantiam, ut sunt entia natura sua corruptibilis; aut secundum variatione accidentia, præcipue secundum locum; aut secundum operationem immanentem: priori modo mutabiles sunt coeli; vtroq; modo Angeli, &c. Neque hanc intrinsecam mutabilitatem tollere possunt dona gratiarum; et si possint impedire actū secundū, ut pluribus declarat Alensis 2. p. q. 13. n. 4.

Assertio V. Attributum Immutabilitatis formaliter est negativum; et si pro fundamento habeat perfectionem Entis necessarij. Est communis iuxta S. Thomam 1. p. initio quæstionis tertiae, & patet ex dictis assert. 1.

D V B I V M II.

In quo consistat attributum aeternitatis; & qua ratione sit proprium Dei.

S. Thomas 1. p. q. 10. a. 2. 6.

Svpponenda est hoc loco definitio aeternitatis, Sex Boetii lib. 3. de Consolat. prosa. 2. & S. Thomas hic q. 10. a. 1. & in 1. d. 8. q. 2. a. 1. & d. 19. q. 2. a. 1. ac omnibus Scholasticis ibidem recepta: *Ef* interminabilis vita tota simul ac perfecta posse, quasi dixerit: Est constans & immutabilis, seu independens a successionis expers permanens sive duratio vitæ, nullo principio aut fine terminabilis, ut declarat S. Thomas hic q. 10. a. 1. In qua definitione, in obliquo ponitur *Vita* (nimurum actualis & substantialis) tanquam proprium subiectum huius quasi passionis; perinde ac si describatur similitas curvulas nasi: neque enim aeternitas hæc validius alterius rei esse duratio potest, quam viventis, & quidem perfectissimi, ut dicitur. Hoc posito, quæ ad hoc attributum pertinent, in quibus non pauca sunt inter Scolasticos controversia, sequentibus assertionebus explicamus.

Assertio I. Deus verè propriè ac simpliciter est aeternus. Ita S. Thomas hic q. 10. art. 2. & in 2. d. 2. q. 1. a. 1. & lib. 1. cont. gent. cap. 15. & de potent. q. 3. a. 17. & opusc. 3. à cap. 5. & consentiunt omnes Doctores; & est de fide ex Concilio Lateranensi cap. Firmiter, de Summa Trinit. & fide Catholic. & ex Symbolo Athanasij. Probatur,

aperte

aperte ex Scriptura. Proverb. 8. v. 23. *Ab aeterno ordinata sum. Ecclesiast. 18. v. 1. Qui vivit in aeternum, creauit omnia simul. Ilat. 40. v. 28. Deus sempernus Dominus. Et cap. 57 N. 15. Excelsum & sublimis, habitans aeternitatem. Micheas 5. v. 2. Egressus eius ab initio, ab itineribus aeternitatis eius. Rom. 16. v. 26. Secundum præceptum aeterni Dei.*

Huc spectant illa, quæ significant excessum durationis Dei, respectu omnium rerum creatarum, ut Psalm. 89. v. 2. *Priusquam montes fuerent, aut formaretur terra, & orbis, a seculo & usq[ue] in seculum tu es Deus. Psalm. 101. v. 28. Tu autem idem ipse es, & antiquus non defigis: Item Exodi 15. v. 18. Dominus regnabit in aeternum, & ultra; quod quasi per auxilium dicitur, ut significetur etiam quæ duratio ultra aeternitatem esset, adhuc in ea futurum Deum; aut certe aeternitatem Dei superare omnem durationem creatam, quæ aeterna nuncupari possit; eo quod sit tota simul, & perse talis, non per participationem, ut intelligit S. Thomas h[ic] quæst. 10. art. 2. ad 2.*

Eandem assertionem passim tradunt SS. Patres. S. Dionysius cap. 10. de diuin. nom. interalia ait: *Sacra, (hoc est, aeternitatis) proprietas est antiquum & immutabile, & totum imparabiliter, secundum genitorum esse metiens. Augustinus quæst. 39. in Genet. & quæst. 43. in Exod. & in Psalm. 101. conc. 2. Vbi ait: Aeternitas Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile. ibi nihil est praeteritum, quasi iam non sit; nihil est futurum, quasi nondum sit: sed non est ibi nisi Est. Et S. Gregorius lib. 16. Moralium, cap. 2. i. ait: Aeternitatem (Dei) nec initio incipi, nec fine terminari, sed esse unum, quod semper Esse est. Similia habent Anselmus in Monologio cap. 17. Richardus de S. Victore lib. 2. de Trinit. cap. 2. & Boetius lib. 5. de consolat. prosa vlt. vbi addit: Deum esse aeternum, cunctorum ratione degenitum, commune esse indicium. Sanè id exprefse tradit Aristoteles lib. 8. phys. & lib. 12. metaph.*

Idem euidenter probat S. Thomas h[ic] quæst. 10. art. 2. & lib. 1. cont. gent. cap. 15. ex ipsa immutabilitate Dei, velut radice proxima ac fundamento quasi quodam aeternitatis, ut recte etiam notarunt Suarez lib. 2. de Deo cap. 4. num. 2. Vaquez dis. 3. num. 2. Id enim quod prouersus est immutabile, semper ac necessario est idem, absque vila varietate & successione, nec potest non esse; ac proprie est propriæ aeternum. Deus autem est propriæ immutabilis, ex dubio præcedenti. Ergo Deus est propriæ aeternus, hoc est, absque initio & fine, ac sine omni varietate & successione durationis. Idem probari etiam potest ex eo, quod Deus est Ens necessarium, & ex se, ac per essentiam. Tale enim Ens initium sui Esse habere non potuit; nec habere finem potest: cum sit ens vadiqueque necessarium, ut dictum supra q. 1. dub. 5.

3. *Affirmatio II. Aeternitas est vera duratio realis & intrinseca ipsius Dei. Ita S. Thomas h[ic] quæst. 10. art. 2. cum Cajetano, & omnibus Commentatoribus, Alensis in 1. p. quæst. 12. m. 5. Albertus in 1. d. 8. art. 8. Henricus in summa art. 3. 1. quæst. 1. 2. & 3. Richardus in 1. d. 19. art. 2. quæst. 1. Durandus quæst. 2. Scotus quodlib. quæst. 6. art. 1. Capreolus in 1. d. 9. q. vñ. art. 2. Gregorius de Valentia h[ic] quæst.*

10. p. 1. Molina quæst. 10. art. 1. disput. 2. Vaquez d. 33. num. 20. adeoque communis Theologorum, contra Aureolum in 1. d. 9. quæst. 2. art. 2. qui ratus, de ratione durationis esse successionem, negavit. in Deo formaliter & intrinsecè esse durationem aliquam; et si concederet, in eo intrinsecè aeternitatem, tanquam vim quandam, qua Deus attingit omnem tempus, seu omnem durationem imaginabilem; quin etiam fateretur, Deum realiter durare denominatione durantis (sicut & creantis, & conservantis) defumpta ab aliquo extrinseco.

Probatur assertio. Quia permanentia existentia, seu quod idem est, ipsa existentia permanens cuiusque rei est vera & intrinseca duratio ipsius rei, adeoque non magis esse potest extrinsecare, quam ipsa existentia: Aeternitas formaliter prout à characteris omnibus attributis ratione distinguitur, est permanentia existentia ipsius Dei; hæc enim ratio nulli alteri attributo diuino conuenit; & tamen Deo denegari minimè potest: Ergo aeternitas est vera & intrinseca duratio Dei, sive ipsius Esse diuini. Fundamentum autem Aureoli in Philosophia velut absurdum ex communi refellitur.

4. *Affirmatio III. Aeternitas, sive intrinseca Dei duratio, per se ac formaliter non includit respectum coexistentiarum ad tempus, eti vero coexistat tempori, ceterisque rebus creatis. Prima pars est communis apud Gregorium de Valencia, Molinam, & Vaquez locis citatis, & colligitur ex S. Thoma, alijisque citatis, contra Gabrialem in 2. dist. 29. aliosque Nominales, qui docent, Deum formaliter aeternum esse, quia coexistit infinito tempori actu vel potentia; quasi formalis conceptus aeternitatis in involuatu respectum ad tempus: qui simul etiam supponit, attributa in Deo inter se & ab essentia formaliter non distinguui, nisi per connotationem alicuius extrinseci, quod supra quæst. 1. ex communi refutauimus.*

Probatur eadem prima pars ex premissa, & ab omnibus admissa definitione aeternitatis, in qua eiusmodi respectus sive coexistentia ad nostrum tempus nusquam exprimitur; ac per se notum est, durationem Existentia diuine principio & fine carrentem, in quo ratio formalis aeternitatis consistit, non involuere respectum coexistentie ad ultimum tempus, seu verum seu imaginabile. Vnde etiam si per impossibile nec tempus ultimum suisset, nec futurum esset, adhuc Deus esset aeternus.

Dices 1. Ipsa permanentia existentia connotat & supponit existentiam in aliquo tempore, aut saltem duratione priori: Ergo intrinsecè in involuuit coexistentie respectum ad tempus, aut certè durationem aliquam priorem. Respondeo negando assumptum; loquendo de conceptu & ratione permanentie, in qua consistit aeternitas; hæc enim non est positivè explicanda, sed solum negatiuè, per negationem inceptionis, quasi videlicet existentia Dei ceperit: qua ratione nullus involuitur respectus ad præcedens tempus, vel durationem.

Dices 2. Sicut immensitas se habet ad locum, ita aeternitas ad tempus, seu durationem creatam: sed immensitas Dei, iuxta nostrum concipiendū

modum, necessarium invenit respectum factem potentiam ad locum, seu res creatas: Ergo etiam æternitas ad tempus, seu durationem creatam. Respondere concedi posse totum: nec enim id negat conclusio; sed solum includeret respectum coexistentiae ad tempus verum, aut imaginarium; siquidem etiam immensitas non includit respectum coexistentiae ad locum, aut res creatas: sed solum dicit viam actu primo replendi omnia loca, ut dictum q. 4. dub. 3.

Secundam partem tradunt Alfonso dorensis lib. 1. cap. 15. quest. vlt. Alensis 1. p. quest. 12. m. 6. 9. & 10. Henricus quodlib. 5. quest. 13. Egidius in 1. d. 8. p. 2. quest. 2. art. 4. Scotus quodlib. quest. 6. art. 1. & in 1. d. 9. quest. vnic. Durandus in 1. d. 3. 8. quest. 3. Richardus quodlib. 3. art. 1. quest. 1. Caianus, alijque Thomistæ 1. p. quest. 10. & recentiores loc. cit. ex communi, contra Aureolum in 1. d. 9. quest. 2. art. 2. & d. 3. 6. quest. vnic. art. 1. vbi dicit, non esse absolute dicendum, Deum coexistere temporis, aut alii rei creatæ: quod significat etiam Anselmus prolog. cap. 19. Probatur ea pars assertio ex Scriptura Proverb. 8. vers. 27. vbi de æterna & ineratae Dei Sapientia dicitur: *Quando preparabat cœlos, aderam; quando certa legge & gyro vallabat abyssos, quando aethera firmabat sursum; & librabat fontes aquarum, quando appendebat fundamenta terra, cum eo eram cuncte comprensus.* Ratio est: Quia ut aliquid verè dicatur coexistere alteri, non est acceſſe, ut duratione inuicem exæquent, aut ut illud mensuratur ab altero: aut sub eo contineatur; sed satis est, ut simul existant, ita ut quando unum est, etiam sit alterum; sed Deus est propriè non sit in tempore, quia non mensuratur, nec continetur tempore, quod omnes fiantur; simul tamen cum tempore, alijque rebus creatis existit; quamvis interim infinitè excedat durationem seu existentiam cuiuslibet rei creatæ: Ergo verè coexistit tempori, alijsque rebus creatis; etiam si horum coexistentia cum Deo non sit adæquata, sed inadæquata.

6. Eodem modo loquuntur SS. Patres, speciatim Augustinus tractat, 99. in Ioann. Nec contrarium sentit Anselmus loc. cit. satis enim ibidem & cap. 22. se explicat ad eum modum, quem habet Richardus Victorinus lib. 2. de Trinitate, cap. 23. vbi ait: *sicut in omni loco est praesentialiter, in nullo localiter; sic in omni tempore est aeternaliter, in nullo temporaliter;* sicut enim per loca non distenditur, qui summe simplex & incompositus est; sic nec per tempora variatur, qui aeternus & incommutabilis est.

Assertio IV. Aeternitas differt ratione ratio-cinata non solum ab immutabilitate, sed etiam ab existentia, seu vita diuina, cuius est duratio. Ita communis; & sumitur ex Boetio, & S. Thoma, alijque citatis, qui non solum aeternitatem pro attributo ab immutabilitate distincto habent; sed etiam aeternitatem constituant quasi proprietatem, seu modum ac mensuram existentiae, ut dicemus, ipsamque aeternitatem definiunt per vitam Dei in obliquo; quod recte non fieret, si solum ratione ratiocinante distinguatur à vita, seu existentia diuina.

Ratio primæ partis est; quia aeternitas formaliter

significat durationem realem & immutabilitatem aeternitatem permanentem, omnique successione, principio & fine carentem; non ita immutabilitas. Ratio secundæ partis est: Quia in diuinis, quæ respondent perfectionibus creatis distinctis prædicamento, distinguuntur ratione, cum fundamento in re; adeoque ratione ratiocinata, ut dictum etiam q. 2. dub. 3. At vero existentia substantia creatæ pertinet, aut revocatur ad prædicamentum substantiarum; Duratio vero ad prædicamentum Quantitatis, aut Quando, &c. Omittit eos, qui dixerunt, aeternitatem esse modum ex natura rei distinctum ab essentia diuina; quod docet Mayron in 1. d. 8. q. 5. & probabile censet Scotus quodlib. q. 6. quod refutauimus vniuersim cit. q. 2. dub. 2.

An vero aeternitas distinguuntur etiam virtutales ab ipsa existentia, seu vita diuina; an vero solum per negationem terminabilitatis, & successionalis; aut etiam connotacionem aliquius extrinseci, v.g. temporis, &c. ex eo pendet, an in rebus creatis duratio à parte rei differat ab existentia, sive tempus à motu, cuius est duratio. Si enim haec ita differunt, cum quia diuina existentia & aeternitas respondent rebus, que in creaturis sunt à parte rei distinctæ, etiam ipsa virtutaliter distinguuntur; si autem, quod docent Nominales, Ockam in 2. quest. 10. & 12. & Gregorius in 2. d. 2. quest. 1. art. 1. Gabriele quest. 1. a. 1. & communior habet Philosophorum & Theologorum sententia: duratio rei creatae solum ratio ne differt ab existentia; ita ut aliud non sit, quam existentia ipsa cum negatione desitionis, vel simili etiam cum suppositione præterita inceptionis, tunc aeternitas nihil addet existentia, seu vita actuali Dei, nisi negationem terminabilitatis & successionalis, & ut quidam dicunt, etiam aliquam connotacionem ad aliquid extrinsecum; ac proinde non distinguetur propriè virtutaliter ab existentia diuina; cum non respondat perfectionibus creatis ipsa distinctionis: qua etiam communior est Doctorum sententia, ut dictum.

Assertio V. Aeternitas habet quidem aliquo modo mensuræ rationem (impræcise) tum respectu omnis durationis creatæ, tum etiam respectu ipsius existentiae & durationis, seu vita diuina; tamen ratio eius intrinseca non consistit in ratione mensuræ. Prior pars utraque est communis Doctorum, post S. Dionysium cit. cap. 10. de diuina, nom. vbi aucto seu aeternitati tribuit totum secundum totum esse metiri. Eam speciatim de mensura omnis creatæ durationis tradunt S. Thomas in 1. d. 19. q. 2. a. 1. & 2. Albertus in 1. d. 8. a. 8. 9. 10. Alensis 1. p. q. 12. m. 9. a. 3. & 4. Capreolus d. 9. q. vn. a. 2. Ferrariensis lib. 1. cont. gent. cap. 66.

De mensura vero ipsius durationis seu vita diuina tradunt id S. Thomas h̄c q. 10. a. 4. & in 1. d. 8. quest. 2. a. 1. Albertus, Alephis locis cit. Ferrariensis loc. cit. cap. 15. Egidius dist. 8. p. 2. quest. 2. Henricus in sum. art. 3. 1. quest. 2. Richardus in 1. d. 19. art. 2. q. 1. Carthusianus in 1. d. 8. q. 3. Caianus h̄c q. 10. art. 5. Gregorius de Valentia q. 10. p. 1. Molina q. 10. a. 1. disp. 3. Suarez metaph. d. 50. à num. 9. & seqq. osi quoad utrumque membrum contrarium afferant Durandus in d. 19. q. 2. Ockam in 2. q. 1. 3. Gabriel in 2. d. 2. quest. 1. a. 3. qui non agnoscunt in aeterni-

æternitate rationem mensuræ, quos sequitur Vasquez disput. 31. cap. 5. vbi docet æternitatis conceptum compleri quidem per aliquid rationis; at non mensuræ; sed negationis mensuræ: cum tamen certè negatio entis rationis, propriè non sit aliquid rationis, verècù Suarez cit. num. 9.

Probatur ea pars assertionis, quod primum membrum. Quia iuxta Aristotelem lib. 10. metaph. cap. 2. primum in unoquoque genere, est mensura ceterorum: æternitas vero in genere durationis est prima, vt patet. Deinde æternitas est duratio maxime uniformis, simplex, æquipollens durationi cuilibet creatæ, illiisque homogenea, saltem secundum rationem communem analogicam (quod sufficit;) est item re ipsa distincta à duratione qualibet creatæ, sua natura etiam notior illa, & comparabilis cum duratione creatæ; ita vt quo quequam agis ad illam accedit, adeoque à principio aut fine recedit, magisque simplex & stabilis est, eo etiam sit perfectior, longior, &c. Ergo nulla conditio ad mensuram requisita ab Aristotele lib. 10. metaph. cap. 2. & 3. dicit æternitati, comparata cum durationibus creatis.

Nec obstat, quod æternitas non sit minima in genere durationis; quod tamen requirit Aristoteles ibidem. Id enim solum verum habet de mensura quæ per repetitionem plenæ adquare debet mensuram; cum interim ipse Aristoteles 4. Physic. cap. 12. text. 116. tempore mensurari doceat brevissimum etiam quenque motum, adeoque ea, quæ a tempore exceduntur. Fatendum tamen, æternitatem nobis quidem in actu secundo non solere esse mensuram & regulam cognoscendæ durationis rerum inferiorum; quia actu & re ipsa nobis non est notior; quod ad actualem mensuram requiritur.

Probatur eadem pars assertionis quoad alterum membrum. Quia concipiendo rationem æternitatis, eamque applicando ipsi Deo, quatenus existit, seu quod idem est, existentia ac vita ipsius, aut etiam durationis in confuso accepta; cognoscimus, quantum sit duratio, sive existentia Dei. Ergo secundum rationem nostram recte dici potest æternitas, mensura quasi quedam intrinsecas, sive Dei, nimirum ut existens, sive vita ac existentia ipsius: promiscue enim ac sensu eodem ita loquuntur Doctores. Et confirmatur id ipsum ex Aristotele lib. 10. metaph. cap. 2. vbiait, mensuram esse, qua cognoscitur quantum, latè nimirum acceptum, etiam pro virtualiter extenso, &c.

Ethicò est, quod dixit S. Thomas hic q. 10. a. 2. ad 3. accipi in æternitate rationem mensuræ, secundum apprehensionem nostram tantum. Quia tamen æternitas ipsa infinita est, non propriè habet rationem mensuræ, sed solum impropriè, vt expressè docet Capreolus loco cit. idque multo verius est respectu ipsius existentiae, sive durationis diuinæ; tum quia ab ea nullo modo à parte rei distinguitur: tum quia ea ipsa etiam infinita est; mensurari autem cum idem sit, quod mensurā definiri & determinari, propriè non potest, nisi quod finitum est, iuxta S. Thomam in 1. d. 19. quæst. 1. art. 1. ad 4. quod recte etiam notauit Gregorius de Valentia loco cit. idque ipsum in assertione indicauimus, addendo nomen impropriè.

Posterior pars assertionis est contra Ferrariensem lib. 1. cont gent. cap. 15. Gregorium de Valentia his q. 10. p. 1. qui docent, ad rationem formalem æternitatis pertinere aliquid reale, videlicet durationem sine principio, & fine; & aliquid rationis, nempe mensuram diuinæ substantiæ, seu durationis ad eum modum, quo tempus dicitur numerus motus. Qui sententia non parum etiam fauunt. S. Thomas eodem art. 1. & a. 2. ad 3. & a. 4. in corp. & ad 1. & 3. & in 1. d. 19. q. 2. a. 3. item Alberius in 1. d. 9. a 8. Henricus in summa artic. 31. quæst. 2. & ex parte Caietanus hic quæst. 10. art. 1. Huc spectant etiam alii recentiores quædam Thomistæ, qui rationem mensuræ saltem in obliquo connotari docent conceptu æternitatis.

Nostræ vero assertionis partem præter Durandum, Ockamum, Gabrielem & Vasquez, qui absolute negat, æternitatem habere rationem mensuræ, tradunt Molina hic q. 10. a. 1. disp. 3. Suarez metaph. disp. 50. à num. 9. Gillius lib. 2. tract. 10. cap. 9. num. 4. & communiter recentiores; nec dissentit Caietanus loc. cit. si bene expendatur. Probatur. Quia nec in definitione æternitatis exprimitur ratio mensuræ; nec sub e nomine, iuxta communem modum concipiendi, formari solet conceptus mensuræ; nec duratio, vt sic in genere includit rationem mensuræ, quod opposita sententia supponit. Accedit, quod æternitas propriè non habet rationem mensuræ respectu substantiae seu existentiae, & durationis diuinæ, vt dictum: denique Deus propriè & formaliter esset æternus, quamvis eam rationem mensuræ, quæ non nisi per intellectum illud aduenit, vt dictum, nemo conciperet, aut concipere posset.

Nec obstat, quod de ratione temporis est mensura; nam & hoc ipsum probabilitate multi negant: deinde est diversa ratio temporis, quia iuxta usum loquendi Aristotelis, & Philosophorum, tempus, vt est mensura motus, non dicitur ipsa per se sola duratio intrinseca cuiusque motus; sed solum duratio primi mobilis; æternitas autem, vt ex definitione, & modo communi concipiendi patet, dicit ipsam intrinsecam durationem ipsius virtutis, seu existentia diuinæ, sine relatione mensuræ.

Affartio V I. Ratio æternitatis tota est realis; pro materiali significans vitam seu existentiam Dei; formaliter autem durationem, cum negatione successionis, & termini etiam potentialis; qua negatione ultimata compleetur. Ita sentiunt Caietanus hic quæst. 10. artic. 1. Molina, Suarez loco citat Gillius cit. tractat. 10. cap. 10. & colligitur ex citata definitione. Äternitatis ab omnibus admissa, quam re ipsa etiam tradit & quasi explicat Anselmus in Monolog. cap. 24. vbiait: Cum diuina substantia non sit aliud, nisi vita sua; nec æternitas sua, sit aliquo modis terminabilis, nec nisi simul & perfecte tota, quid aliud est vera æternitas, qua simili conuenit, quam terminabilis vita, simul & perfecte tota existens? Idem tradunt S. Augustinus, & S. Gregorius initio citati.

Probatur & declaratur. Primo enim æternitas re ipsa non distinguitur vlo modo ab ipsa substantia, & vita seu existentia Dei; cuius etiam veluti subiecti passio quasi quedam, vel modus est.

Secundo formaliter esse durationem ipsius vitæ diuinæ, patet ex assert. 2. Tertio includere negationem successionis, patet ex illa particula definitionis. *Totum simul; quæ ratione etiam differt essentialiter à tempore.* Quarto includere negationem termini, non solum actualis, sed etiam potentialis, patet ex vocula *interminabilis*. Denique hac ratione ultimata compleri rationem eternitatis, ex eo probatur, quia per negationem successionis, contrahitur duratio solum ad rationem quandam communem eternitati, & alijs quibusdam durationibus creatis, ut sunt æcum, & instans temporis discreti, &c. Per negationem autem termini actualis, solum excluditur duratio quælibet actualis finita; non autem duratio creata infinita, qualis, & si qua creatura potest communicari; nam infinitam à parte post esse æcum Angelicum, omnes concedunt; à parte etiam ante infinitam durationem creature communicari posse, multi existimant; de quo alibi.

Per solam vero negationem termini, etiam potentialis, ex utraque parte, distinguitur eternitas ab omni alia duratione; qualis nulla esse potest nisi in creatâ; omnis autem creatâ duratio est intrinsecè terminabilis, saltem per respectum ad potentiam Dei: qui & quolibet momento quamlibet rem creatam potest annihilare, & si quam creaturam etiam produxisser ab eterno, potuisse tamen non producere; quo ipso iam finita & limitata fuisset duratio ipsius creaturæ. E contrario vero duratio Dei non potest ullo termino, seu principij, seu finis villa potentia definiri, aut claudi, ac proinde simpliciter & absolute est interminabilis; Cum ergo hac negatione eternitas seu duratio diuina ultimata distinguitur ab omnâ duratione creata, sequitur, rationem eternitatis ea ipsa negatione ultimata completi.

E confirmatur assertio. *Quia ratio eternitatis nec includit intrinsecè respectum rationis ad tempus, vt dictum assert. 3. ne creationem sive relationem mensuræ, vt dictum assert. 5. Ergo rota est realis, sic tamen, vt eius ratio supradictis negationibus modo explicato compleatur.*

Assertio VII. *Æternitas Dei extendit se ad omnia, quæ intra Deum sunt.* Est extra controvèrsiam, & patet tum ex simplicitate Dei; tum quia de ratione rei simpliciter eternæ est, vt nulla sit in eavaratio & successio: ea proinde etiam ad operationes Dei immanentes liberas pertinet; prout secundum suam entitatem spectantur, vt bene declarat Suarez i.p.lib. 2. de Deo cap. 4. num. 5. & infra suo loco pluribus dicetur.

Assertio VIII. *Æternitas perfecta, modo explicato, est attributum Dei a proprium, vt per nullam potentiam ulli creaturæ possit communicari.* Ita S. Thomas h̄c q. 10. a. 3. & est de fide 1. Tim. 6. v. 16. *Qui solus habet immortalitatem, hoc est immutabilitatem: ex qua ad aquæ sequitur eternitas, vt dictum, & recte S. Thomas ibidem.* Rationes aliae constant ex dictis: solius enim Dei duratio est planè interminabilis; solius etiam Dei duratio est planè independens; quod significari in definitione eternitatis per voculum *perfecta* notarunt Henricus in summa art. 3. q. 1. Scorus quodlib. q. 6. Lychetus ibidem, & alii; et si alii aliter explicant.

Assertio IX. Secundum analogiam tamen quan-

dam, & in propriæ, ac per participationem, etiam recreatæ quædam recte dicuntur eterna. Ita S. Thomas h̄c q. 10. cit. a. 3. ex communi omnium. Probatur & declaratur ex S. Thoma ibidem. Quia eternitas fundatur in immutabilitate: quæ proinde, prout magis vel minus participatur à creaturis, ita etiam ipsæ magis, vel minus accedunt ad rationem eternitatis; iuxta ipsius etiam Scripturæ consuetum phrasin. Primo enim quædam ideo solum in Scriptura dicuntur eterna, quia licet secundum ipsam etiam substantiam obnoxia sint mutabilitati, ut pote entia corruptibilia, ac forte etiam aliquando finem habitura, ac ut tamen ac re ipsa, vespemper, vel certe longissimo tempore durant, aut durarunt, sicut inquit S. Thomas in psalmis (Psalm. 75. v. 4) dicuntur montes eterni; & Deut. 33. v. 15. in benedictione Ioseph fit mentio de pomis collum eternorum; & eodem modo intelligitur illud Ecclesiast. 1. v. 4. Terra in eternum fiat: & illud Matthæi 25. v. 41. Discedite à me maledicti in ignem eternum. Et Psalm. 76. v. 6. dicitur: Cogitamus dies antiquos, & annos eternos in mente habui. Et Rom. vlt. v. 25. mysterium conuersiōis gentium, dicitur tacitum temporibus eternis. Eodemque sensu passim in Scriptura vocantur præcepta seu mandata Dei eterna, foedus sempiternum, pactum Sacerdotij sempiternum, ut videre est Num. 25. Genes. 9. & 17.

Secundo quædam dicuntur eterna, eo quod secundum substantiam suam natura sua non sunt obnoxia corruptioni, ac re ipsa carent fine durationis, vt cœlum, & Angeli, ad quos etiam refert S. Thomas illud Psalm. 75. v. 5. Illuminans tu mirabiliter à monib[us] eternis. Quod ab alijs ad Patriarchas & Prophetas refertur.

Tertio, perfectiori participatione quædam dicuntur eterna, præter durationis perpetuitatem, quod etiam secundum unum saltem operationis modum & genus, experta sunt mutationis, & mutabilitatis, vt sunt Angeli, & anima, seu homines beati: quia quantum ad illam visionem Verbi, non sunt in sanctis volubiles cogitationes, vt dicit S. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 16. Quæ de causa etiam videntes Deum, dicuntur habere vitam eternam, secundum illud Ioan. 17. v. 3. Hac est vita eterna, ut cognoscant te solum Deum, &c.

Denique huc spectat, quod essentia rerum dicuntur eterna, sive prout obiectu sunt in mente diuina, vt explicat S. Thomas eod. a. 3. ad 3. sive quia sunt eternæ veritatis, quoad conuenientiam prædicatorum essentialium ac necessiariorum, quæ abstrahunt ab existentia, vt exprimit Vasquez eod. art. 3. ex communi. Plura de hac re habent S. Dionysius cap. 10. de diuin. nom. Damascenus lib. 2. fid. cap. 1. Richardus Victorinus lib. 2. de Trinit. cap. 4. Alensis 1. part. q. 12. m. 1. a. 1. & 2.

Assertio X. Nulla tamen res creata de facto est eterna, ea participatione eternitatis, quæ principium simul & finem durationis excludat: ac licet aliquo sensu dici possit, res omnes esse præsentes realiter Deo in eternitate; non tamen simul, aut semper, aut ab eterno. Prior pars est extra controvèrsiam, & deside: & patet ex illo Gene. 1. v. 1. In principio creavit Deus cœlum & terram. Vnde constat, mundum non fuisse ab eterno, sed in tempore incepisse,

pisse, ut omnes Christiani contra Aristotelem consentiunt; de quo alibi plura.

Secundam partem tradit S. Thomas lib. 1. cont. gent. cap. 66. & 1. p. q. 14 a. 13. & in 2. d. 7. q. 2. a. 2. & omnes Thomistæ, nominatim Ferrariensis eod. cap. 66. & 67. Capreolus in 1. d. 3. q. vñ. a. 2. Caetanus 1. p. q. 14 a. 13. item Richardus quodlib. 3. a. 1. q. 1. a. 2. & 3. & in 1. d. 3. 8. q. 5. Marilius in 1. q. 40. a. 2. Corduba q. 55. dub. 8. Molinahic q. 14. a. 13. d. 13. & recentiores communiter; eodemque modo expressè loquitur Anselmus in Monolog. cap. 22. & in prosl. c. 20. et si Deo omnia præsenta esse in æternitate negant Alensis 1. part. q. 23. m. 4. 3. Bonaventura in 1. d. 3. 5. in com. dub. 6. & d. 39. a. 2. q. 3. & d. 41. a. 2. q. 1. Scotus cum suis in 1. d. 39 q. 1. Durandus d. 3. 8. q. 3. Aureolus d. 3. 6. q. 1. a. 1. & d. 3. 8. q. vñ. a. 1. Ariminensis d. 3. 8. q. 1. a. 2. Gabriel q. vñ. a. 2. & fauet S. Augustinus lib. 1. de ciuit. c. 2. 5. vbi ait: Antequam fierent (creatura) non fuerunt; sed ante dico, æternitate, non tempore. Sed in re non est dissensio, vt inferius dicetur.

Probat ea pars assertionis. Quia verbum est aut exsistit; non semper dicit respectum ad tempus præsens, seu instantis præsentis temporis, quo aliquid affirmatur. Ese vel existere, sed quando coniungitur cum aliqua duratione completere non solum tempus præsens, sed etiam præteritum, aut futurum, significat aliquando existentiam pro aliquo tempore præterito, aut futuro, comprehenso intra eam durationem, cui coniungitur, præcipue si hec duratio adhuc penereret. Ita enim dicimus. Hoc anno dies Pascha vñ est 19. Aprilis; dies S. Matthiae est ante Quadragesimam, sunt sex Eclypses: idque sepe etiam dicitur tot. Annis decursu, etiam si dies S. Matthiae Paschatis, aut una altera vel Eclypsiam præterierint, solum enim volumus dicere, ipsum Annum totum secundum diuersas sui partes completestis sex Eclypses, in tem diem Paschatis incidere in diem 19. Aprilis, &c.

Simili ergo etiam modo, & ratione maiori, quia æternitas semper eadem, & tota simul invariabiliter exsistit, resque omnes, & omnia tempora complectitur, non solum præsenta, sed etiam præterita, & futura; verè dici aliquo sensu potest, in æternitate vere & realiter existere omnia, quæ sunt, præsenta, præterita, & futura; ita vt dici possit; Romulus coexistit æternitati, Antichristus coexistit æternitati, &c. non quidem cum respectu ad tempus præsens, quo dicimus eos coexistere æternitati; sed cum respectu ad illud tempus, seu pro illo tempore, quo existunt, seu quo habent, aut haberunt, vel habituri sunt existentiam. Ethoc est, quod Caetanus, Ferrariensis, & Molina fatentur, propositiones eiusmodi esse falsas, si vti communiter fieri solet, verbum consignificat tempus; veras autem, si consignificat *Nunc eternitatis*.

Vnde colligitur tercia pars, quam non solum tradunt authores citati contra præcedentem partem, sed etiam recentiores plerique, adeoque communis Doctorum sententia. Et probatur. Quia qui dicit, res creatas semper, aut simul, aut ab æterno realiter esse præsentes Deo, significat easdem omni tempore, ac simultanea duratione & existentiâ, atque ante initium temporis, coexistere Deo, seu realiter esse præsentes Deo; quæ tamen omnia falsa sunt; vt redit Gregorius de Valentia q. 14 p. 5. Vasquez disp. 64. cap. 5.

Suarez cit. opusc. 2. lib. 1. c. 7. Gillius lib. 2. tract. 10. c. 17. et si quidam, præcipue Thomistæ recentiores, pro se citantes S. Thomam locis citatis, aliter loquantur, in quibus Abulensis in cap. 11. Iosue q. 2. 1. Capreolus cit. d. 3. 6. q. vñ. art. 2. Molina q. 14. d. 13. dicunt res creatas simili esse præsentes, aut coexistere Deo. Idem vero Abulensis loc. cit. Richardus cit. quodlib. 3. a. 1. q. 1. art. 3. Ferrariensis cit. cap. 66. Caetanus cit. q. 14. a. 13. dicunt, eastemper esse præsentes Deo; denique res esse præsentes Deo ab æterno, vel ex æternitate, concedunt etiam Richardus, Capreolus, Caetanus, Molina locis cit.

Contra quos eriana multi non secus disputatione, tanquam si de ipsa esset controversia. Sed vt recte aduertit Vasquez c. 2. & perspicuum est legendi. Caetanum hic, auctores isti in re aliud non volunt, quam creaturas omnes in quolibet *Nunc aut instanti*, non temporis, sed ipsius æternitatis, quæ tota simul est, tunc, quando sunt, esse præsentes & coexistere æternitati ipsius Dei; quod in re, iuxta modum antea explicatum, verissimum est.

Potius igitur improbadus loquendi modus, cum de re inter omnes constet quia de fide est, mundum, adeoque res istas ab æterno non fuisse creatas ac productas: nec vero aliud esse reale ac proprium habere, quam creatum & productum; nec aliunde, quam per creationem seu productionem, vt antea dictum. S. Thomas vero locis cit. aut solum loquitur de præsencia obiectiva, vt post Heruæum in 1. d. 3. 8. item Aegidium, Sylvestrum, Dezam (Thomistas omnes) intelligunt Valentia & Vasquez cap. 5. aut loquitur iuxta sensum secunda partis antea tradita, vt post Capreolus, Ferrariensem, Caetanum, Cathatinum, Hispanensem existimat Gillius loc. cit. cap. 16. num. 6. An vero res aliqua creata potuerit produci ab æterno, inferius dicetur disp. 6.

D V B I V M III.

An, & quare ratione proprium Dei attributum sit, esse unum.

S. Thom. 1. p. 11. 22. 4.

Notandum primo, dupliciter aliquid unum dicere posse; primo absolute ac præcisiuè; qua ratione dicitur passio (simplex) entis, & à S. Thomis hic q. 11. a. 1. alijsque communiter in negatione divisionis (sic licet in plurala, quale ipsum est) posita esse, censetur, non tam simul negando, seu excludendo consortum sive coexistentiam aliorum similium, scilicet plurium entium eiusdem rationis; quomodo Socrates dicitur unus homo; cum tamen interim utique plures sint homines eiusdem rationis cum Socrate. Secundo dici potest aliquid unum exclusiuè, quatenus videlicet simul excludit consortium, sive coexistentiam aliorum similium, seu alterius entis eiusdem rationis, secundum quam dicitur unus; quo modo res aliqua proprie vñica dicitur, vt solest unus in terris, non tamen unus homo, unus equus; quia licet quilibet homo, & quilibet equus sit unus tantum, absolute tamen sunt plures in terra homines, plures equi. Observat autem S. Thomas eadem quæst. 11. artic. 2. ad 4 iuxta nostrum concipiendi